Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lectionarius de tempore, sectio partis hiemalis - Cod. Aug. perg. 14

[S.l.], [9. Jh.]

Evangelienlesung nach Lucas

urn:nbn:de:bsz:31-20216

Visual Library

Sermones ad hanc diem pertinentes. de ioseph et de confessione. Require retro in fol. xx. Tertia feria huius ebdomadae. Require post ipsos sermones. VII feria in quadragesima quaere in fol. xi.

XC ITEM DE EADEM DIE

LECTIO SANCTI EUANGELII SECUNDUM LUCAM.

In illo tempore: erat dominus ihesus eiciens demonium
et illud erat mutum; Et cum eiecisset demo
nium locutus est mutus. et ammiratae sunt
turbae. et reliqua.

ITEM SERMO EX COMMENTARIO UENE
RABILIS BEDAE PRESBITERI DE EADEM LECTIONE.

Demoniacus iste apud matheum non solum mu
tus sed et caecus fuisse narratur. curatusque
dicitur a domino: ita ut loqueretur et uideret;
Tria ergo generalia signa simul in uno homine
perpetrata sunt; caecus uidet. mutus loquitur.
possessus a demone liberatur; quod et tunc
quidem carnaliter factum est. sed et cot
tidie completur in conuersione creden
tium. ut expulso primum demone. fidei
lumen aspiciant. deinde ad laudem dei
tacentia prius ora laxentur; quidam autem
ex eis dixerunt; In belzebub principe demo
niorum. eicit demonia; non hoc aliqui
de turba sed pharisei calumniabantur
et scribae. sicut alii euangelistae testantur;
turbis quippe quae minus eruditae uide
bantur. domini semper facta mirantibus.
illi contra uel negare haec. uel quae nega
re nequiuerant. sinistra interpretatione
peruertere laborabant. quasi haec non di
uinitatis. sed inmundi spiritus opera
fuissent. id est belzebub. qui deus erat
accaron; Nam beel quidem. ipse est baal.
zebub autem musca uocatur; Nec iuxta
quaedam mendosa exemplaria uel l
littera. uel d. in fine est nominis legen
da sed b. Belzebub ergo baal musca
rum id est uir muscarum. siue habens
muscas interpretatur. ob sordes uideli
cet immolatitii cruoris. ex cuius spur
cissimo ritu uel nomine. principem de
moniorum cognominabant; Et alii temp
tantes. signum de caelo quaerebant ab eo.
uel in morem heliae. ignem de sublimi
uenire cupiebant. uel in similitudine
samuhelis. tempore aestiuo mugire toni
trua. coruscare fulgora. imbres ruere.
quasi non possint et illa calumniari et dicere.
ex occultis et uariis aeris passionibus
accidisse; At tu qui calumniaris ea quae
oculis uides. manu tenes. utilitate sen
tis. quid facies de his quae de caelo ueniunt?
utique respondebis. et magos in egypto
multa signa fecisse de caelo; Ipse autem ut
uidit cogitationes eorum. dixit eis; om
ne regnum in se ipsum diuisum desolatur.
et domus supra domum cadet; Non ad
dicta sed ad cogitata respondit. ut uel
sic conpellerentur credere potentiae
eius. qui cordis uidebat occulta; Si autem
omne regnum in se ipso diuisum desolatur.
ergo patris et filii et spiritus sancti regnum non
est diuisum. quod sine ulla contradic
tione. non aliquo umquam poterit